



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Bernardus Lopez n. 29

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

ad 174. *concludit*. Huius Ordinis Professio martyres facit. Vnde IESV Societatem, Martyrum Ordinem possumus appellare. Et quæ Crux huius Martyrij? rogas? non alia quam abnegatio propriæ voluntatis; quam et si aliæ profiteantur Religiones, in nullâ strictius quàm in hac Familia, siue id sit ob speciale eius regimen cum vno supremo Capite, siue ob electionum defectum, siue ob votum non admittendi dignitates, siue ob alias occultas causas. Ego sanè intelligo in propria abneganda voluntate, nulli Religioni cedere Iesu Societatem, & fortè pauca in hoc illi æquantur. Hinc colligo Martyrij eius Crucem, secundum illud Christi Domini, Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat Crucem suam. Idque forsam indicat Crux illa, quâcum idem Dominus apparuit Ignatio: id IESV Nomen dulcissimum, quod hæc Sanctissima Religio pro signo suæ Nobilitatis habet. Si enim eius Religiosi Cruces, vt dicebamus, portant, in illis IESV Nomen, vt in proprio loco collocandum venit. Vbi enim IESVS Nazarenus nisi in Cruce suffixus? Felix millies Religio, quæ Nomen Iesu vti proprium habet, ita eius Crucem pro baculo, ipsum pro Socio: Societas IESV. *Hæc ille in summam Societatis, & Sociorum commendationem.*

Est Ordo Martyrum.

Eorum Crux propria voluntatis abnegatio.

Matth. 16 24.

Nomen IESV, suæ nobilitatis signum.

Crux baculum, IESVS Socius.

29. * A BERNARDO LOPEZ SVSARTE *gravi Scriptore, qui præclare idem argumentum nec dissimili eloquentia & benevolentia erga Societatem profequitur in Thesauro Ecclesiæ demonstrat. 8. fol. 259. col. 3.* Gloriosus *(inquit)* Benedictus spinas elegit, quas nudus pro lecto habuit; S. Dominicus flagella, quibus carnem cruentabat; S. Franciscus Christi stigmata in Corpore suo portauit; B. vero P. Ignatius et si ferus venerit, asportauit tamen Crucis Titulum cum IESV Nominè, quod per totum Orbem Sancti, ac Noui Apostoli suæ Societatis maximè illustrarunt, bonum sui odorem doctrina, & exemplo spargentes, Euangelijque balsamum vitæ dispendio, ac Martyriorum per terram totam effundentes. *Hæc ille.*

Ignatij insigne Crucis Titulus cum IESV Nominè.

Quod noui Societatis Apostoli maximè illustrarunt.